

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0882

0880

0886

0876

0891

0871

0931

0831

0981

0781

0381

Ende

Anfang

309

Concilium.

Anno Domini 1242. factus est Papa Innocentius IV. Hic apud Lugdunum concilium generale celebravit et tractatum habuit de terrae sanctae recuperatione et imperatorem inobedientem citavit, ut personaliter compareret.

Qui misit suas excusationes et veniam petivit promittens, quod intra annum operaretur cum Soldano, ut restituaret terra sancta Christianis. Sed cum hoc promissum et alia minime servasset, excommunicatus, condemnatus et depositus ab imperio per Papam fuit, in excommunicatione mortuus et suffocatus per proprium filium suum.

Postea anno MCCXLIV. pontificante Innocentio IV facta est contentio diabolica inter Christianos in Syria et Achon civitate, inter Genuenses et Venetos, quia quaelibet harum civitatum quaerebat esse major et in tantum saevierunt partes contra se invicem, ut cum classibus congressiones facerent in aspectu Sarracenorum et mare insecurissimum fieret, ita ut jam nulli peregrini loca sancta visitare auderent, erant enim ambae partes fortes terra et mari et formidabiles Christianis et Sarracenis. Unde Soldanus videns, suis terris ex illis bellis Christianorum inter se imminere periculum, Grossonios Tartaros, gentem Arabicam, invitavit, qui in regnum Jerosolymitanum venientes Christianos debellaverunt et ante Gazam civitatem plures prostraverunt, tandem autem Jerosolymam ingressi et in Templarios, Hospitalarios, ibi de consensu Soldani habitantes, congressi, multos relictos occiderunt et cum hoc gloriosum Domini sepulchrum destruxerunt et ecclesiam Christi quovis turpititudinis genere foedaverunt.

Deinde anno Domini 1248. sanctus Ludovicus, rex Franciae, in gravi existens infirmitate rogavit Deum pro sanitate, votum faciens transmarinae peregrinationis. Sanitati ergo restitutus crucem cum multis baronibus regni accepit et cum copioso exercitu contra Syriam per mare profectus est. Sua-debant autem multi regi, ut terrestri itinere per Turciam Asiam minorem intraret et ipsam Turciam caperet, siquidem anno praeterito Tartari ipsam Turciam devastaverant et debilitaverant ita, quod si rex per eam transivisset, sine

